IN TRACTATUM DE PESTE Posteriorem

EXCELLENTISSIMI, DOCTISSIMIQUE MEDICI HALLENSIS

Dn. MATTHIÆ UNTZERI DOCTORIS, Adfinis, & Amici fui honorandi

Omnibus antidotum conſtat ſpeciale venenis,
Et tollit certum toxica certa genus.
Unde ſit, unde malũ: mineris, animantibus, herbis,
(Sic opifex voluit) diſperit hoſte ſuo:
Sola LUES PESTIS medicina neſcia certa,
Altius & plenum numine virus alit.
Non tum Mercurius, non Proprietatis Elixir,
Non tinctura auri, non lapis ille juvat.
Fallit Theriace, fallit vis Scordia, fallit
Bezoar, utq; recens, ſic ſchola tota vetus.
Uſq; adeò Natura, DEI non corrigit iras,
Uſq; adeò doctâ plus valet arte ſcelus.
Eſt tamen antè alias medicina probatior omnes
Unica, Si peſtem quid fugat, illa fugat.
CROLLIUS evulgat primus, ſed pauca reſervans,
Sive quòd ignoret, ſive quòd invideat.
UNTZERUS ſequitur, qui tantæ prodigus artis,
Edocet aureolo pharmaca ſumma libro.
Salve UNTZERE, bonum noſtris commune Salinis,
Salve, ô ſapiens candidus annè magis!

Inte

In te certat enim tàm celsa peritia rerum,
Cum candore pari Teutonicâq; fide.
Ergo tuo CANDORE, tuo medicamine SUMMO
Utamur, summâ non sine laude tui.
Quo nisi sanet ego, dicam: ME NUMINA POSCUNT,
NULLA MEDELA JUVAT; VITA BEATA JUVET.

Paulus Röberus D. Hal.
Cons. Aulicus.

Ad V. CL.

Medicum & Philosophum Celeberrimum

Dn. D. MATTHIAM UNTZERUM
Poliatrum Halensem,

HENRICI ELLENBERGERI Archiatri Magdeb.

EPIGRAMMA.

NIl adeo invisum est homini, quod Pæonis arte
Pellere non voluit provida cura Dei.
Thessala quantumvis tellus sit fœta venenis,
Mortales tamen his, quæ medeantur habent.
Mortiferæq; nepæ in cassum sua Spicula torquent,
Dum scelerata suo corpore damna piant.
Buso quin etiam, bufoneq; pejor Echidna
Si mordet propriâ vincitur Antidoto.
Immò harum Carne est, Vix certior ulla medela,
Toxica si quando dira noverca dedit.

Non

Non tamen inventum est; quamvis nil liquit inausum
Cura hominum; Pesti quod ferat auxilium
Non Bezoar nobis mittit quod barbara Persis
Indubiam præbet Pestilitatis opem.
Sæpè etiam Chymicus coxit fornacibus aurum,
Nil tamen ægrotos quod levet inde redit.
Sunt simulacra alij fausto qui sidere fingunt,
Sed contra Pestem quid simulacra queant?
Ergò UNTZERI iterum quid prodest cudere cartas,
De Peste, in cassum luditur ille labor?
Absit: nam vario morbus discrimine distat,
Unaq; non semper Pestis origo fuit.
Est quando Phæbus summi mandata tonantis
Exequitur, spargens per sua tela Luem.
Tunc hominum pecudumque genus truduntur ad orcum,
Et nemo est contra qui velit ire Jovem.
Heic precibus locus est, nihil heic medicamina possunt;
Votaq; sunt tantùm persoluenda Deo.
Nonnunquàm cæco vitio corrumpitur aura,
Aut patitur labem mobilis humor aquæ.
Intus & in nostro suboleſcit corpore virus,
Quod nos ad stygias concomitatur aquas.
Tunc variis opus est medicum præstare medelis,
Obvius huic hosti qui volet ire pede.
Hoc UNTZERE doces, dum promis divite Gaza
Quidquid in innumeris est reperire libris.
Vive UNTZERE diù, qui vitam reddere cunctis
Tentas, hæc vivet gloria post cineres.

IN